DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
PHTHISI PULMONALI;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOSEPHUS JOY MAGEE,

Hibernus.

Illi, mors gravis incubat,
Qui, notus nimis omnibus,
Ignotus moritur sibi.——SENECA.

Kalendis Augusti, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ABERNETHY & WALKER.

1820.

VIRO OMNIUM AMICISSIMO,

AVUNCULOQUE PEROPTIMO,

SEMINARII SANCTAE BRIGIDAE,

AGRI DUBLINIENSIS

IN REGNO HIBERNIAE,

PRAESIDI PRAESTANTISSIMO,

REVERENDO JOSEPHO JOY DEAN,

CUI TAM SANGUINIS VINCULO,

QUAM ARDENTIORIS ANIMI AFFECTU

DEVINCIOR,

HAS STUDIORUM PRIMITIAS,

PERPETUA GRATI ANIMI MEMORIA,

EA OMNIA JURE MERITOQUE

DEBERI,

D. D. D.

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

PHTHISI PULMONALI.

MORBUS, de quo disserere aggredior, tum magnam ob frequentiam, tum ob tristem plerumque finem, summam singulorum curam sibi vindicat. Qui etiam fere victimae vastationis sunt, maximam commiserationem commovere debent. Nonne enim quotidie videmus, maximae spei, summique ingenii adolescentes, virgines quoque formosissimas et maxime amabiles, hac clade pereuntes;—nonne totas familias, ad tumulum

immaturum, alium post alterum festinantes aspicimus?

Haec quoque nostra regio, morbo huic funestissimo, praecipue obnoxia esse videtur. In his insulis tam late grassatur, ut multi auctores * quartam incolarum partem, phthisi interire computaverint.

Pulmones, ob structuram, munerisque naturam, morbum contrahere admodum proclives sunt, et ad sanitatem pristinam aegre restituuntur. Omnium vero vitiorum, quibus afficiuntur, frequentius nullum magisque pertimescendum phthisi pulmonali, qui ab illustrissimo CULLENO sic definitur:

"Corporis emaciatio et debilitas, cum tussi, "febre hectica, et plerumque expectoratione "purulenta."

Auctores diversi, diversas longe phthiseos divisiones dederunt; ea vero venerabilis DUNCANI, scilicet in catarrhalem, apostematosam et tuberculosam, optima mihi videtur. De singulis

---

* Vide Sydenham, Woolcombe, Young, &c.

vero seorsim tractare, limites hujus libelli circumscriptos prorsus excederet. Tuberculosam speciem igitur solam animadvertere placet; quia sub hac forma saepius obtinet morbus, et quidem in stadio morbi confirmato, symptomata singulorum, pariter et cura parum dissident.

HISTORIA MORBI.

Phthisis pulmonalis, in omni orbis terrarum regione accidere potest; tamen pro vicissitudine coeli saevire comperta est. Ubicunque tempestas constans est, sive calida, sive frigida, phthisis vix aut ne vix quidem occurrit. In Magna Britannia pariter ac Hibernia, quibus temperies valde instabilis est, latius et saevius forsitan quam in ulla alia regione dominatur.

Aetas ad morbum maxime proclivis, a pubertate usque ad annum tricesimum, intervallum complectitur. Ratio, cursu sanguinis velociore,

eoque corporis statu ad inflammationes aptiore, pendere videtur.

Morbi duratio admodum diversa est: nunc paucis hebdomadis terminatur, nunc aegrum miserum multos per annos lacessit. Professor Home, in praelectionibus praeclaris, hominis exemplum memorare solet, qui intra diem vigesimum primum morte succubuit; et alios, triginta vel etiam quadraginta annos, laborare legimus. Saepius vero intra mensem decimum mors supervenit.

Nemo qui stragem miserandam per totas familias saevientem vidit, haereditarium esse malum negabit; et quamvis res diu disputata fuit, et etiam hodie a nonnullis, nec parvi nominis, negatur, nil dubito quin, saltem in stadiis provectioribus, etiam contagiosum sit. Innumera fere exempla, quae ipse notavi, phthisicis servientium paulo post tempore morbo eodem morientium, necnon maritorum uxores, uxorumque similiter maritos, eadem causa ad tumulum

sequentium, omnem dubitationem de hac re ex animo meo prorsus amovent *.

Phthisis plerumque tussicula crebra et sicca obrepit; sed adeo levis est, ut parvi momenti habetur. Post exercitationem respiratio acceleratior et pulsus frequentior fit. Corpus sensim macrescit. Nonnunquam aeger dolorem in fixa pectoris parte vel latere sinistro obtusum sentit, qui ex inspiratione plena ingravescit, et aliquando in alterutrum latus decubitum impedit.

Symptomata haec, sine incremento manifesto per longum intervallum saepe permanent; quo tamen statu, corpus coeli mutatione facillime afficitur. Ex hac demum vel alia causa excitante, tussis molestior fit, et exscreatio, quae antea aut nulla aut omnino mucosa, nunc puris sinceri signa acquirit. Magna nunc instat spirandi difficultas, praesertim sub vesperis adventum, aut post cibum sumptum. Pigritia et languor corpus invadunt. Appetentia cibi ple-

* Vide Doctoris Heberden Commentaria.

rumque deficit, et animus interdum moerore et melancholia opprimitur. Expectoratio sanguine saepe imbuitur, et sub lucis ortum copiosior evadit. In mulieribus fluxus menstrualis fere desinit, quae consequentia, et non ut ipsae credunt, causa morbi habenda. Pulsus calorque primo naturales augescunt, et febris exquisitam hecticam formam induit.

Quod recte nominari potest stadium morbi secundum, primo hecticae accessu initium ducit.

Haec febris duas patitur exacerbationes, quarum multo gravior vespertina. Exacerbationem quamque rigores frigorisque sensus praecedunt, corporis calore simul, ut thermometrum indicat, parum minuto. Inde calor ardens consequitur, manuum palmae plantaeque pedum praecipue ardescunt, et rubor in malis circumscriptus apparet.

Paroxysmus per noctem durat et ingravescit; sed instante Aurora, gradatim symptomata quaeque sublevantur, et sudor profusus, vel tota corporis superficie vel partibus tantum qui-

busdam, sicut facie, brachiis vel pectore, erumpit. A febre supra descripta, ingrata illa affectio, quae *anxietas febrilis* vocatur, fere abest. Rubicundior redditur urina, et sedimentum furfuraceum deponit. Lingua primo humida est et fere sordida; progrediente vero morbo, rubra praeter naturam evadit, quod plurimis in morbis malum internum gravissimum denotat.

Ut ad finem appropinquat morbus, diarrhoea supervenit, et sudores, qui *colloquativi* nominantur, nunc abundantiores fluunt; et his alternis vicibus instantibus, vires aegri miseri superstites penitus franguntur.

Jam ad stadium ultimum perventum est. Emaciatio et debilitas indies increscunt; vultus demissus, et nisi per exacerbationes pallidus est; et aspectum illum luctuosum praebet, qui *facies hippocratica* vocatur. Oculi hebetes fiunt, et tunica sclerotica pulcherrimam habet speciem, instar margaritae; aphthae fauces obtegunt; capilli defluunt; ungues adunci fiunt; pedes intumescunt; dolores pervagi diversas corporis partes saepe cruciant. Nonnunquam

delirium scenam tristem claudit: saepe vero natura nunc demum defessa gradatim quiescere videtur, et mors haud inoptata placido similis somno obrepit.

Aliquando per totum phthiseös curriculum appetentia cibi necnon mentis facultates ad ultimum illaesae restant. Aeger periculi sui raro conscius est, et ipso mortis limine semet spe valetudinis instaurandae consolatur. Progressus morbi graviditate saepe sistitur: sed cito post partum mors supervenit.

RATIO QUORUNDAM SIGNORUM.

Tussis, — incipiente morbo, tuberculorum formatione et postea puris irritatione nascitur.

Dyspnoea et stricturae sensus—oriuntur, cursu sanguinis tuberculis obstructo, fluxu ad pulmones adaucto, congestionibus, quae inde consequuntur, et denique fabrica pulmonum ipsorum inflammatione deleta.

Febris Hectica—acrimoniâ puris absorpti in sanguinis massam oritur, ut plerique putant; sed hoc minime certum est.

Emaciatio et Debilitas—concoctione vitiata, sudoribus nocturnis, diarrhoea colliquativa originem ducunt: necnon conditione pulmonum morbida, qua mutationes ad sanitatem necessarias sanguis non subit. Oriuntur quoque relaxatione obstructionibusque vasorum lacteorum, quae chylum parcius imbibunt, et parum nutrimenti excipiunt.

Sudor colliquativus—ex debilitate generali et praecipue ex absorbentium infirmitate et laxitate originem ducit. Ob hanc debilitatem vasa lactea, quae in superficiem intestinorum internam hiant, ad nutritionem justum sorbendum inhabilia fiunt. Sed quamvis ad partes alimentorum *praestantiores* et quasi *spissiores* sorbendas, non satis valent; reri tamen rationale est partem chyli tenuiorem largius imbibere. Quo alio enim fonte, petam, flueret copia liquidi immodica, quod per cutem ex corpore evehitur? At siquando nimia sanguinis tenuitas obtinet,

ex necessario noxium esse nemo negabit; et natura semper vigilans causam irritantem depellere nititur: cor ad actionem celeriorem et fortiorem cietur, motus arteriarum augetur, et proinde exhalantia, sive morbo laxata, sive *vi a tergo* stimulata, sive ex causis ambabus conjunctis, illam tenuitatem noxiam effundunt.

Diarrhoea colliquativa—easdem causas ac sudor agnoscit. Fortasse etiam ex acrimonia sputi in intestina delapsa nonnunquam gigni potest. Diarrhoea porro et sudor alternis vicibus vexant prout febris hectica instat vel remittit.

Aphthae—formantur in faucibus acrimonia exscreationis. *Facies hippocratica* emaciationis effectus est.

Capillorum defluvium—proprii nutrimenti defectionem consequitur.

Unguium aduncitas—eidem causae tribuenda est.

CAUSAE.

Remotae.—Multi scriptores, gravis frequentiae phthiseös in hisce regionibus rationem reddere, conati sunt; diversisque temporibus, variis causis attribuerunt. Nonnulli, exempli gratia, vitae sedentariae quam agunt fabri, qui majorem populi partem constituunt, imputaverunt; sed male quidem, quia neque vera est observatio, quod ad ipsos attinet, neque rationem explicat, cur alii in morbum incidunt; et revera phthisin saepius invenimus in populi classe longe diversa. Alii carni nimium usurpato ascripserunt; sed manifeste fallax haec opinio, quia magna pars hoc malo pereuntium raro aut nunquam carne utuntur; quorum scilicet res angustae hanc indulgentiam minime sinant. Alii demum ex *theae* usu oriri dicunt. Quanquam non dubito, quin usus ejus generalior, nonnullis habitu corporis debiliori praeditis, exitiosus sit,

et in iis phthisi jam praedispositis morbum festineat; tamen, prorsus ignotum esse hunc morbum regionibus quibusdam, ubi thea majore quantitate usurpatur, invenimus. Causa vera esse videtur: coelum humidum, varium et mutabile, et vestitûs usus severitati parum idonei.

Praedisponentes.—Inter causas phthisi praedisponentes numeratur temperamentum sanguineum, quod, cute molli, capillis plerumque flavis aut rufis, venis magnis et colore oris nitido, denotatur. Celerior est illis sanguinis motus, et proinde, ut constat, inflammationibus, congestionibusque procliviores sunt. Diathesis quoque scrofulosa phthisi valde opportuna est, et inter eos magna existit similitudo *.

* In one case, and that too a very frequent one, of phthisis, it appears that the noxious acrimony is of the same kind with that which prevails in the scrofula. This may be concluded from observing that a phthisis, at its usual periods, frequently attacks persons born of parents who had been affected with scrofula in their younger years; that very often, when the phthisis appears, there occur, at the same time, lymphatic tumours in the external parts; and very often I have found the *tabes mesenterica*, which is a scrofulous affection, joined with the phthisis pulmonalis. To all this I would add, that

Habitus scrofulosus, collo gracili et longo, humeris angustis et acclinibus, pectore arcto, dignoscitur. Est illis etiam fere temperamentum sanguineum. Labium superius crassum est, digiti tenues et longi, oculi magni, venustas eximia, et animus sentiendi facultate molliore et puriore praeditus.

Excitantes.—Sub hoc capite locum habent pulveres subtilissimi, quibus artifices quidam, ut lapicidae, metallici, molarii et hujusmodi objiciuntur.

Inter causas quoque excitantes numerari possunt vapores noxii et aër vitiatus. Novi ego exemplum hominis, qui, ob inhalationem vaporis ammoniae, morbum contraxit, dirupto nempe vase in quo aqua ammoniae praeparabatur *.

Phthisis quoque injuriis externis oriri potest,

---

even where no scrofulous affection has either manifestly preceded or accompanied a phthisis, this last, however, most commonly affects persons of a habit resembling the scrofulous. *Cullen's Practice of Physic*, 897.

* Illustrissimus Pelletier hoc morbo correptus est ob inhalationem vaporis sive gasis oxymuriatici.

morbisque aliis praecedentibus, scilicet, catarrho, haemoptysi, pneumonia, pleuritide, asthmate, rubeola, variola, &c.; sed de singulis seorsim pauca dicam.

Phthisin pulmonalem ex catarrho gigni facile patebit, si causam hujus morbi proximam esse inflammationem membranae, quae bronchiarum pariter atque cellularum pulmonum ipsorum superficiem internam tegit, consideremus. Haec inflammatio ad pulmones saepe serpit. Impetus sanguinis augetur, congestiones formantur, arteriae minutiores distenduntur et demum rumpuntur, inde sequitur haemoptysis, et vomicae vel tuberculi formantur.

Quum phthisis ex haemoptysi idiopathica originem ducit, aut ulcus ruptis vasibus formatur, aut sanguis in cellulas effusus, partes irritat, tussim excitat, et sic phthiseos fundamentum ponit. Sed tamen saepius esse morbi effectum quam causam notandum est.

In pneumonia vel pleuritide, pulmones aut una membranarum inflammatione afficitur, quae ad suppurationem nonnunquam pervenit; et

ex puris effusi acrimonia et irritatione morbus aliquando nascitur.

Verisimile est nunquam ex asthmate secutam esse, nisi in iis morbo jam praedispositis, et tum modus operandi idem est ac in catarrho.

Rubeola, variola, et alia nonnulla exanthemata morbum producere possunt. In his pulmones graviter plerumque laborant, quare, ut constat, phthisis, praesertim in praedispositis, saepe consequitur.

Inter causas quoque excitantes numerari solent moeror vehemens, magna animi anxietas, ebriositas, exinanitiones immodicae, diarrhoea, fluor albus, menorrhagia; sed horum nonnulla esse effectus potius quam causae morbi videntur.

Multa alia inter causas recenseri solent, quae recte tantum sic appellantur, quantum vires exhaurire spectant.

Proxima.—Causa phthiseös proxima formatio est vomicarum aut tuberculorum in pulmonum substantia. De tuberculorum origine in-

ter medicos adhuc disputatur. Nonnulli glandulas esse pulmonum proprias, et morbo auctas, putant; sed hoc omnino rejiciendum est, nam, sectionibus etiam accuratissimis, in pulmonibus sanis glandulae tales indagari nequeunt.

Causa formationis maxime consentanea mihi esse videtur; effusio in telam pulmonum cellulosam, quae, absorbentibus non imbibita, stagnat, inspissatur, et sic nucleum tuberculi praebet. Simili modo rationem reddere possumus, quo modo concreta hujusmodi, quae in cerebro et aliis corporis partibus aliquando invenimus, formentur.

DIAGNOSIS.

Scientia medica nihil fortasse complectitur, quod attentius animadverti debeat, quam morborum diagnosis. Hoc imprimis necessarium et maximi momenti est in morbo nostro, tum

quia in primo stadio nihil facilius, quam de natura ejus errare, quum quia curationem vix sperare possumus, si in notitiam morbi instantis tempestivam non invenimus.

Morbi cum quibus phthisis confundi potest, sunt catarrhus, pneumonia, asthma, chlorosis, amenorrhoea. Difficillime est catarrhum inter et phthisin incipientem distinguere. Quandocunque de hac re existit dubitatio, durationem morbi, aetatem aegri et habitum, et corporis formam, perpendere debemus.

In catarrho, tussis et alia symptomata repente aggrediuntur; contra vero, in phthisi gradatim subrepunt. In priore quoque adsunt plerumque dolor capitis, oculorum suffusio, coryza, raucitas; quae omnia raro aut nunquam in posteriore inveniuntur. Ut tamen ad stadium secundum perventum erit, phthisin a catarrho, febre hectica, facile distinguemus, quam sic definit Cullenus: " Febris quotidie revertens;
" accessionibus meridianis et vespertinis; remis-
" sione, rarius apyrexia, matutina; plerumque

"sudoribus nocturnis, et urina sedimentum fur-
"furaceo-lateritium deponente."

His signis fere diagnosin formare possumus; sed multo accuratius expectorationis dotibus. Rationes diversae pus inter et mucum ad discernendum propositae fuerunt; haec tamen D. CAROLI DARWIN certior esse videtur.

Exscreatio acido sulphurico solvatur; huic solutioni adde aquam; si adsit pus, fundum petet; si vero mucus, vel supernatabit, vel in flocculos divisus in liquore suspendetur. Si pro acido, sputum solutione potassae purae solvamus, idem effectus producetur.

Eques EVERARDUS HOME, signis puris enumeratis, notat pus per microscopum visum, ex globulis semiopacis cum liquore pellucido, constare. Ob horum globulorum inventionem, alium modum puris detegendi Doctori YOUNG debemus. Verba illius sunt:

"There is, however, a very simple and cer-
"tain optical criterion, dependent on the pre-
"sence of globules, while the colour indicates
"that there is no mixture of blood. If we put

" a small quantity of the substance to be exa-
" mined between two pieces of plate glass, and
" holding it near the eye, look through it at a
" distant candle, we shall observe the appear-
" ance, even in the day time, of a bright circu-
" lar corona of colours, of which the candle is
" the centre; a red area surrounded by a circle
" of green, and this again by another of red;
" the colours being so much the brighter as the
" globules are more numerous and more equa-
" ble. If the substance be simply mucus, there
" will be no ring of colours; although some-
" times there is a sufficient mixture of hetero-
" geneous particles, even in the mucus, to cause
" the appearance of a reddish area only about
" the candle."

Mucus porro pellucidus est; pus vero opacius et saepe subviride. Mucus pure viscidior, difficiliorque aqua mistu. Pus aqua gravius et odorem plerumque ingratum habet.

A pneumonia facile distinguitur; hujus enim morbi subita est accessio, illius vero lenta; pri-

ore etiam dolor et pyrexia graviores et anxietas febrilis aegrum angit.

Ut phthisin a caeteris distinguamus, signa, historiam morbi, aegrique habitum perpendere oportet; et ubicunque aliquid malorum supradictorum morbo praedispositos adoritur, vel consequentiam esse vel causam futuram esse, optimo jure timendum est.

PROGNOSIS.

In hoc morbo prognosis fere infausta erit, praesertim si ultra stadium primum pervenerit. Non desunt tamen exempla morbi etiam stadio ultimo saeviente amoti; sed hoc equidem raro. Si neque tabem haereditariam nec diathesin scrofulosam nec habitum phthisi pronum suspicamur; si praeterea vires parum minuuntur; si respiratio facilis est et tussis levis, exitum faustum sperare licet. Si, porro, exscreatio non purulenta est, et febrem hecticam abesse credi-

mus, nil dubitationis est quin plurimum fieri possit, sagaci medicamentorum usu, aptaque diaeta, ad morbum levandum vel etiam sanandum.

Contra vero, cum oritur ex praedispositione haereditaria, vel scrofula, vel prava corporis formatione, cum adest febris hectica, sudores nocturni, cum emaciatione magna, debilitate, dolore pectoris fixo, expectoratione purulenta, minimum spei valetudinis instaurandae superest. Cum tandem diarrhoea, aut aphthae aut oedemata aut delirium supervenirent, tum de aegro prope actum est.

CONSILIA MEDENDI.

Quamvis hic morbus omnem medicorum curam plerumque frustrat, et, ut supra diximus, ob naturam mali ipsam et locum quem tenet, fere ad exitum funestum pergit; tamen spem idcirco omnem non abjicere debemus, prius-

quam omnia quae auxilium praebeant tentaverimus. Semper melius est morbum praecavere quam curare, et hoc etiam in phthisi plerumque fieri potest, si cautio matura adhibeatur. Etiam cum signa stadii primi inchoati clara adsunt, saepe in manu nostra est vel morbum amovere, vel saltem diem mortis protrahere. Ac demum, secundo stadio saeviente, quamvis minimum medico restat, nisi constitutionis aedificium ad interitum misere labens spectare; tamen summa ope niti debemus affectiones molestiores levare, et viam ad mortem quasi complanare.

Quum internecio magna, quam ab hac clade factam quotidie videmus, doceat, formato morbo, quam parvum humano auxilio sperandum sit, semper ad praecavendum moliri oportet. Qui ad morbum praedispositi sunt aliquibus causis supradictis, vestitui summam curam impendere debent. Varium autem et mutabile est coelum sub quo degimus, et tam subita a maximo calore ad frigus extremum transitio, ut ni corpus vestitu proprio muniatur, a variis

malis, quae temperiei mutationes subitae gignere solent, pati necesse sit.

Lanula juxta cutem gesta, ob indolem ejus calorem conservandi et sudorem sorbendi, huic regioni optime aptata esse videtur.

Hic observandum est nihil perniciosius esse opinione quorundam, qui pueros leniter obtectos inde firmiores et robustiores reddi putant. E contrario vero frigus infirmiores et molliores facit, et phthiseös fundamentum ponit.

Nihil porro magis damnari debet, quam mos temporum horum improbus, quo virgo tenera et mollis frigori saevo prope seminuda objicitur, et quo permultae in mortem intempestivam praecipitantur.

Magna quoque cura dietae habenda est, quae ejus generis esse debet, quod maximum nutrimentum praebet, et simul facillime concoquitur. Usus vini immodicus, liquorumque ardentium vetari debet. Thea et coffaea parcius bibendae, quae scilicet vires vitales minuunt, et habitum ad morbi aggressus patefaciunt.

Cura proxima ad exercitationem aptam et aëra

bonum adhibenda est, quae ad valetudinem servandam aeque ac victus vel vestitus necessaria sunt. Ad hoc, si in urbe habitent, aut vitam sedentariam agant, illico rus eundem est et negotium exercendum, quod occasionem exercitationis modicae praebebit.

Equitatio ob motum generalem et magnum, aëris mutationem continuam, et animi delectationem quae inde oritur, juste exercitatio phthisicorum optima putatur, et procul dubio ad statum corporis sanum servandum plurimum valet. Ambulatio utilissima, jactatio quoque a Doctore Carmichael Smyth multum laudata. Horum vero nulla adeo continuari debent, ut sudor excitetur ; quod si quando acciderit, extemplo vestimenta mutare necesse est.

Balneum frigidum, a nonnullis commendatum, plerumque remedium dubium et periculosum esse videtur. Balnea vero calida vel tepida, pulsum reducendo, cutem molliendo, fibrarum rigiditatem resolvendo, utilissima esse puto.

Omnes mentis affectiones deprimentes etiam

caute cavendae; et animus statu aequabili semper servandus, nec gaudio nimis exhilaratus, nec moeroris pondere nimium demissus. Ac demum, omnia quae vires minuere, functiones perturbare, aut corporis fabricam ullo modo laedere spectant, perstudiose fugienda sunt.

Si haec omnia rite servantur usquedum habitus vegetus redditur, et aetas ad phthisin maxime proclivis praeterierit, omnino morbum evadere sperandum est.

Nunc remedia, saeviente morbo, optima animadvertenda sunt; prius vero observatu dignum est, plus in hoc, pariter ac multis aliis morbis, e regimine apto, (ut verbo in sensu generaliori utamur, sicut diaetam, vestitum, aëra, exercitium, animi statum complectente,) quam medicamentis sperandum esse.

Morbo incipiente, praesertim si adsunt symptomata phlogistica, alimenta omnia naturae stimulantis omnino fugienda sunt, et regimine, quod *antiphlogisticum* vocatur, stricte utendum est. Constat quaecunque concoctu difficilia, ad stomachum onerandum et inflammationem ac-

cendendam spectare. Si, hoc tempore morbi, aegro carnis usus concedatur, parcius tamen utatur. Quae levior est et facilius concoquitur anteponenda est; et majore vegetabilium ratione uti oportet. Juscula, gelatina, caro piscium albida quibus convenit, haud sine commodo permittantur. Conchylia vero, sicut ostreae, cochleae, &c. fere omnibus aptissima, et diaetam levem et nutrientem praebent. Lac in omnibus morbi stadiis multum et jure laudatur: facilius concoquitur, prout materiae oleosae aut caseosae minus continet; quamobrem lac asinae vel mulieris, quòd harum rerum minus habens, optimum putatur; sed largius uti opus est. Vegetabilia plerumque satis levia et concoctu facilia inveniuntur; praeterea alvum satis solutam servant, sine remediorum purgantium usu, quae hoc morbo summa cautione semper exhibenda sunt.

Usus raporum liber, pisorum tenerorum, brassicae, praesertim ejusgeneris quod Anglicè *broccoli* vel *cauliflower* vocamus, et *spinach*, commode permitti potest. Fruges maturae et prae-

sertim subacidae semper utilissimae, quae sitim restinguunt, calorem sedant, sudores compescunt. Thea et coffaea, ut supra notavimus, aut parcius utendae aut omnino omittendae. Harum loco *cocoa* vel *chocolate* bene substituitur. Ova recentia et non nimis cocta utilem diaetae partem formant: plus nutrimenti aliquâ forsitan ejusdem magnitudinis substantiâ praebent, et etiam facillime concoquuntur.

Ad potum ordinarium, vel aqua simplex, vel, si res postulant, vino misto usurpetur. Lac quoque post butyrum amotum, vel aqua supercarbonatis sodae, vulgo *soda water* dicta, aut etiam quae vernaculo *porter* et *ale* vocamus, fere utilia erunt.

His observationibus de victu et vestitu factis, de aëre et exercitio, quae ad sanitatem servandam et restituendam non minus necessaria sunt, tractare pergimus.

Quum temperies hiemum nostrarum austera et frigida semper hoc morbo laborantes premit, in regionem, si res ita sinant, mitiorem, sub adventum ejus migrare debent. Olissipo,

partes Galliae australes, Madeirae insula vel Melitae, loci maxime sunt commendati *.

Praeter commodum quod ex aëre sicco et calido derivatur, magnam quoque utilitatem navigatio praebet. Seu commodum illud navigatione nascens, ex aegritudine quae inde sequitur originem ducat, seu aëris marini salubritate, seu demum pice in navicula, adhuc disputatur; hoc tamen certum est, maximum beneficium, in omnibus fere exemplis, si vires aegri patiantur, e nausea, vomitu, et sudore, quae inde oriuntur, derivari.

Aëri bono, aeger quotidianum exercitationis modicae usum jungere debet. Quod animum maxime delectat optimum est. Consilia omnia quae de hac re jamjam notavimus, nunc quoque observanda sunt. His ita conspectis, nunc talia medicamenta perpendamus, qualia experien-

* Celsus de hac re sic scribit: "Opus est, si vires patiun-"tur, longa navigatione, coeli mutatione, sic ut densius "quam id est ex quo discedit aeger, petatur; ideo aptissi-"me Alexandriam ex Italia itur." Lib. iii.

"Utilis etiam in omni tussi est peregrinatio, navigatio "longa, loca maritima." Lib. iv.

tia esse praestantiora docet. In phthiseös curam instituendo, nobis consilia duo proponere debemus.

1^{mum}, Formationem vel inflammationem tuberculorum impedire.

2^{dum}, Post primum stadium ulcerum curationem promovere, vel symptomata quaeque levare.

Nonnulli auctores, nec parvi nominis, usum venaesectionis in hoc morbo omnino rejiciunt. Procul dubio tamen multum commodum inde plerumque exoriretur, si tempore opportuno exerceretur. In omnibus exemplis, sanguis mittendus est, si vexat dolor pectoris vel lateris, si adsunt signa inflammationis, aut si aeger habitum plethoricum habet; sed semper pro symptomatum impulsu, aegri viribus, et morbi duratione. Etiamsi ad rationem antiphlogisticam promovendam purgantibus subinde opus sit, tamen omnia semper percaute administranda, quae ventriculum, intestina aut vires generales infirmare spectant. Si alvus adstricta sit, laxantibus mitioribus, sicut oleo ricini, pil. Rufi

vel rhei comp. uti licebit. Sed hoc rarò regimine apto non efficitur. Diaphoretica, ut nitras potassae, pulvis Jacobi, vel ipecacuan. comp. aut antimonii tartarisati, incipiente morbo, multum inserviunt. Prodessetne nausea, quam antimonium tartarisatum creat, simili modo ac nausea marina?

Usus emeticorum creber auxilium in primo et secundo stadio multum praebet. Ad vomitum excitandum sulphas cupri optimum esse videtur, quod neque alvum irritat, neque vires conficit. In stadio ultimo quoque hujus classis remedia nonnunquam usurpantur, et tunc sulphas zinci melior est, quia ad diarrhoeam sistendam et ventriculum firmandum juvat. Si vexat aut thoracis aut lateris dolor, applicentur hirudines, vel cucurbitulae cruentae, vel emplastrum vesicans parti dolenti. Ulcus e vesicatorio, aut perpetuum ope unguent. cantharidis vel sabinae fiat, aut, quod melius est, emplastra crebra adhiberi debent.

Digitalis hoc morbo multo et merito laudatur; actionem cordis et arteriarum minuit, ab-

sorbentia stimulat, tussim mitigat, pulmonum irritationem compescit. A primo morbi initio exhiberi, et dosibus primo parvulis, gradatim augendis, oportet. Hoc modo per temporis spatium longius continuari potest, et aegri habitus quantitatem majorem sustinere valebit.

Si opium ante stadium secundum usurpatur, haud raro nocet; postea vero si tussis sit molesta, aut exscreatio difficilis, uti licet. Demulcentia omnia et expectorantia nunc quoque utilia erunt. Inhalatio vaporum diversorum aliquando inservire videtur. Inter hos numerantur vapores aquae tepidae, aetheris sulphurici cum cicuta, picis, stramonii et hujusmodi.

Postquam signa inflammationis omnia subacta sunt, *chalybeata* dare possumus, ad ulcera sananda, et vires sustinendas. Ad hanc rem mistura ferri composita, (Ph. Lond.) quamvis non stricte chemica, utilissima est. Myrrha cum nitrate potassae, vel supertartrate ejusdem, a DUNCANO commendatur. Cinchona, a nonnullis scriptoribus adeo laudata, non raro tamen laedit. Interdum vero prodesse videtur, prae-

sertim in habitu scrofuloso. Proficit quoque ad diarrhoeam sistendam infusio ejus in aqua calcis. Si haec urgeat, mistura cretae cum opio vel tinctura kino vel catechu uti necesse est, necnon acidis ad sudores supprimendas.

Multa alia quoque laudata fuerunt, sicut acidum prussicum, aëra multa sive *gasa*, &c.; sed horum nulla commodum aliquid praestans praebuerunt.

FINIS.